

improbanda ; Imo hoc ipsum excitare debet diligentem animum, ut aliquando certum quid inveniat, quo tuto se fundare possit, & adplicandum hic est, quod de *Babyloniorum scientia* monet Hieronymus, allegatus à Gratiano in can.

i. dist. 37. ibi : *Discunt, non ut sequantur, sed ut judicent, atque convincant : Quomodo si adversus Mathematicos quispiam velit scribere, imperitus Mathematis. Nec sine suo destituerit hæc cura, cum scientia rerum naturalium per se faciat ad culturam ingenii, & contemplatione infinitæ sapientiæ divinæ, quæ ex ipsa naturalium rerum inter se connexione & indagata harmonia oritur, animus mirifice accendi possit, in admirationem arcanorum divinæ Majestatis, quæ in isto rerum ordine, atque inexplicabili siderum in res has sublunares correspondentia, abundanter elucet.* Cum enim fundamentum hujus artis Genethliacæ, quod in siderum influxu consistit, negari plane non possit, non suppetit ratio, quare non permisum esse debat, hujus causas, connexiones, & effectus penitus inquirere, & traditis hactenus & per tot seculorum experientiam probatis regulis nonnullis uti, non quidem tanquam criterio infallibilis veritatis, aut demonstratio-
nis cuiusdam apodicticæ, sed tanquam viam & excita-
mento ad inquirendam veritatem, quo usque scilicet
mens humana in arcana naturæ penetrare queat ; ita ta-
men, ut hæc omnis per vestigatio fiat cum devota reve-
rentia erga divinum Numen.

Th. XXI,

Additur Si porro non improbamus *Judicia & Prognostica Me-*
dia ratio *dica, Moralia, Politica, quibus homines periti & pruden-*
& pari. *tes, de futuro morbi vitæque exitu, de fortunæ præcipi-*
tio, de Regnum aut Regnantium flore aut cadentia, in
futurum augurantur ; Quanquam stamina & terminus
nostræ vitæ à Deo, & Regna ab altissimo Numinе depen-
deant; tamen propterea, quod juxta regulas suas medicas,
mora-